

II. Bonorum posterioris generis filius habet quidem dominium, sed ususfructus cedit patri, vel, hoc deficiente, matri, donec ipse expleverit annos 18, nisi antea emancipetur. (a. 384)

471. QUAER. I. Quodnam jus filiisfamilias competat in laboris sui lucrum.

RESP. 1° Si filius aliquid lucratur sua tantum industria et labore, agendo ex. gr. fabrum lignarium, scriptorem, pictorem, etc., lucrum in ejus dominio est, sed debet :

a) Ex justitia, resarcire patri expensas quas in ipso alendo facit : pater enim non tenetur alere filium, propria bona habentem. Excipe si filius sit talis conditionis ut pater talem laborem rationabiliter ab eo exigere nequeat.

b) Ex pietate, subvenire gravi parentum vel fratrum ac sororum necessitati. (n. 352)

Propter hanc duplicem obligationem, plerique juniores opifices integrum salarium parentibus suis tradere debent. Excipe tamen, si quando majus stipendium quam plerique solent lucrarentur vel laborem aliquem plane extraordinarium assumerent, puta laborando ultra horas consuetas, die Dominica nuntios deferendo, etc., aut si parentes ultro consentirent ut liberi aliquam salarii sui partem sibi reservarent : quod tamen raro contingit ubi parentes tenuis sunt conditionis.

2° Quando filius negotiatur ex bonis paternis et patris nomine, lucrum ad patrem pertinet. Nam opera quam impendit in hac negotiatione est aliquid pertinens ad patrem, qui res suas per filios quos in potestate habet administrare potest. Verum ad filium spectat lucrum quod faciat labore prorsus extraordinario et indebito, vel negotiatione quam proprio nomine et periculo faciat cum bonis paternis, sibi concessis vel clam ablati.

3° Probabilis videtur sententia quam, inter alios, tuetur Lessius (de Just. et J. l. 2. c. 12. n. 81) : filium, qui gerit negotia patris, posse, deductis expensis quas pater facit in eo alendo, pro suo labore et industria, tantumdem accipere, quantum daretur extraneo, nisi intenderit gratis hanc operam suam dare.

Tres condiciones ibidem requirit Lessius : primo, ut filius protestetur se velle lucrari, quod tamen non est necessarium si forsan ob reverentiam patris id facere non audeat ; deinde, ut constet parentem non facturum esse per se, vel non inventurum esse qui gratis vel minoris id faciat ; tandem, ut ususfructum illius lucri non sibi vindicet ante suam emancipationem vel patris mortem. Haec sententia praesertim applicanda venit quando unus e filiis vel filiabus pro parentibus laborat, reliquis otiantibus vel industria separata sibi consulentibus ; aequitati enim

prorsus repugnat talem prolem optime merentem teneri ad carendum omni stipendio.

Caute tamen confessario agendum esse cum filiis qui occulte se compensare voluerint, monent DD. Ideo curandum ut, ubi id fieri poterit, aperta conventionem cum parentibus sibi provideant. Post factam compensationem, facilius a restitutione facienda excusandi erunt.

De hac satis difficili quaestione cfr. Lugo, de Just. et J. disp. 5. sect. 2 ; Laymann, l. 3. tr. 4. c. 8. n. 12 ; Ball. P. n. 103 seqq. ; S. Alph. m. 488 et 544 ; Lehmkühl, l. n. 889 seqq.

172. QUAER. II. Num peccent contra justitiam commutativam filii qui res sibi a parentibus concessas in usus vanos et inutiles adhibeant, ex. gr. recreationibus immodicis impendendo pecuniam sibi tributam ad alimenta comparanda vel studia peragenda.

RESP. Solutio pendet ab intentione parentum manifestata vel rationabiliter praesumpta. Si illi intenderunt dominium illarum rerum absolute in filios transferre, injuncto tamen mandato ut eas in talem usum honestum adhibeant filii, hi peccant tantum contra oboedientiam. Si vero intenderunt parentes tales res unice ad hunc honestum usum concedere, neque ampliorem facultatem filiis facere, isti peccant etiam contra justitiam. Haec posterior hypothesis plerumque verificatur de pecunia, libris, vestibus. Ideo ad restitutionem per se tenentur filii quotienscumque per illas vanas expensas cogunt parentes ad plus in sui favorem expendum. Saepe tamen, ut notat Lessius (l. c.), a restitutione excusantur, quia praesumere possunt parentes facile condonatos esse, si filii rogare auderent.

Ubi vero ab aliis quam a parentibus quaedam tribuuntur, plerumque donatio fit absolute : quare si munera contra donatorum intentionem in usus vanos consumantur, prodigalitas committitur, non injustitia. Haec tamen admitteretur in casu satis raro quo donatio facta esset sub expressa vel tacita condicione ut munera unice ad aliquem determinatum finem adhiberentur.

§ 4. DE DOMINIO UXORUM.

473. DISPOSITIONES JURIS.

1° Societas conjugalis quoad bona sua regitur eo pacto quod a conjugibus initum est, antequam matrimonium contraherent ; lex supplet tantum defectum pacti privati. (C. C. a. 1387)

2° Si nullus specialis contractus initus est, vel si conjuges declarant

tantum se velle conjungi sub **regimine communitatis**, ipsorum bona reguntur regulis *communitatis legalis*, quas exponit C. C. aa. 1401-1497. Ex his praecipuas tantum hic recensebimus.

Bona communia constant: 1° E mobilibus quae conjuges possidebant cum matrimonium inierunt vel quae ipsis, durante matrimonio, obtinentur per successionem vel donationem, nisi donator contrarium expresserit. — 2° E fructibus et redditibus cujuscumque sint naturae quae, durante matrimonio, proveniunt vel percipiuntur e bonis quae ad conjuges pertinebant quando matrimonium celebratum est, vel quae ad ipsos, durante matrimonio, devolvuntur. — 3° E bonis immobilibus quae, durante matrimonio, acquiruntur, non tamen per donationem vel successionem. (C. C. a. 1401 seqq.)

Maritus solus bona communia administrat; ea vendere, alienare et in hypothecam tradere, sine uxoris interventu, potest. (a. 1421) Nequit tamen gratuito donare bona immobilia communia vel omnia mobilia aut partem eorum aliquotam, puta dimidiam. (a. 1422) Uxor vero de bonis communibus disponere nequit, nisi cum consensu mariti, vel, hoc absente, cum iudicis venia. (a. 1426 seqq.)

Quando communitas dissoluta est, morte, divortio etc., uxor vel qui ei succedunt habent jus eam acceptandi vel eidem renuntiandi. (a. 1453) Si communitatem acceptant, tum bona, tum debita inter maritum et uxorem dividuntur ea ratione quam explicat C. C. aa. 1467-1491. Si eidem renuntiant, omnia jura sua in bona communia amittunt, sed regulariter etiam debitis satisfacere non tenentur. (aa. 1492-1495)

Possunt conjuges varias moderationes huic regimini afferre, quod tunc *conventionalis communitatis* nomen prae se fert. (C. C. a. 1497) Saepe in praxi contrahunt conjuges ea condicione ut bona quaelibet quae hucusque possident, maneat singulorum propria, communitatem vero constituent bona quae acquirunt durante matrimonio e redditibus suis, labore vel titulo quolibet oneroso (*communauté d'acquêts*) Cfr. C. C. a. 1498 seqq.

Regimini communitatis favet codex noster, utpote magis conformi illi fiduciae quae inter conjuges vigere debet.

3° Duae sunt clausulae quibus conjuges possunt communitatem excludere, quin tamen se sub regimine dotali ponant. Prior est: se matrimonium inire *sine communitate*. Hujus vim declarat C. C. aa. 1530-1535. Posterior: se fore *quoad bona separatos*, quam clausulam explicat C. C. aa. 1536-1539.

4° Habetur praeterea **regimen dotale** cui codex noster minus favet et quod raro in Belgio initur. Huic subsunt tantum illi conjuges qui diserte in contractu matrimonii declarant velle se sub hoc regimine vivere; ideo, ut eidem subsint, minime sufficit aliquam dotem esse ab

uxore ejusve parentibus constitutam, ut solet fieri sub quolibet regimine matrimoniali, per annuam pensionem aliamve donationem. (C. C. a. 1392)

Dotem constituunt quaecumque bona uxor marito suo affert ad onera matrimonii ferenda. (a. 1540) In regimine dotali, eam constituere poterit mulier ex omnibus bonis suis vel ex parte tantum, prout voluerit (a. 1542). Horum bonorum dotalium administrationem et usumfructum solus maritus habet, durante matrimonio. (a. 1549) Exceptis quibusdam casibus lege determinatis, bona dotalia immobilia nequeunt alienari vel hypothecae subijci neque a marito, neque ab uxore, neque ex utriusque consensu. (a. 1554)

Paraphernalia censentur quaecumque bona uxoris non fuerint in dotem constituta. (a. 1574) Horum administrationem et usum habet uxor; sed nequit ea alienare vel eorum ratione in iudicio se sistere sine mariti consensu aut, eo recusante, sine iudicis licentia. (a. 1576) (1).

474. REGULAE PRACTICAE.

1° Uxor, sub quocumque regimine vivit, jus habet ad honestam sustentationem pro condicione sua. Etiam si nulla bona marito suo attulit, iste censendus est, per contractum matrimonialem, onus alendae uxoris suae in se assumpsisse. (Lehm. I. n. 895) Sustentationem autem ingrediuntur non tantum necessaria ad victum et vestitum, sed etiam moderatae eleemosynae, munera et recreationes. Cavendum tamen ne haec jura extendantur ultra ea quae mulieres timoratae ejusdem condicionis facere solent.

2° Quae ad suam familiaeque suae sustentationem necessaria sunt, non tenetur uxor semper diserte a marito postulare, cum non sit serva, sed socia, ideoque aliquam partem in administratione rei oeconomicae sibi vindicare possit. Ideo, si maritus irrationabiliter quaedam necessaria recusat vel justam petitionem moleste laturus praevidetur, poterit uxor ea etiam clam subducere. A fortiori, id posset facere de usufructu bonorum quae non sint ipsi cum marito communia, sed ipsius propria, ut sunt immobilia quae communitatem non ingrediuntur.

(1) Sub Jure Romano triplicis speciei erant bona uxoris: dotalia, quae scilicet in potestate mariti constituebantur ad alendam familiam; — paraphernalia, quae uxor praeter dotem sibi servabat; — communia, quae aliqua ratione ad virum simul et ad uxorem pertinebant. In dotalia uxor habebat solum dominium directum; in communia, una cum marito, proprietatem et usumfructum; in paraphernalia, sola plenam potestatem, etiam administrandi, habebat. Hinc quae DD. sub Jure Romano scribentes, tradunt de bonis paraphernalibus applicanda sunt bonis quorum dominium plenum et administrationem uxor habet; quae de dotalibus docent, conveniunt bonis quorum solum dominium directum habet uxor; quae de communibus, referantur ad bona quae ad conjugalem communitatem pertineant.

3^o Uxor potest bona quaedam abscondere quibus sibi et proli provideat, si maritus prodigus bona communia dilapidat. Posset etiam occulte supplere ea quae maritus neglegit in debita familiae administratione, ex. gr. pecuniam transmittere ad filium qui, ex voluntate patris, studeret vel laboraret extra paternam domum, neque sufficientem summam ad convenientem sustentationem a patre acciperet. (Lugo, de Just. et J. disp. 16. n. 68)

4^o Non raro occurrunt dubia de facultate quae competat uxori succurrendi parentibus suis vel filiis e praecedente matrimonio susceptis et in gravi necessitate constitutis, seu misere secundum statum suum viventibus. Quae fusius de hoc argumento tradit Lugo (disp. cit.), compendio exhibet Lehmkühl. (l. n. 896) Nempe :

a) Si mulier habet bona quorum administratio libere ad eam pertineat, nequit, sine consensu mariti, ampliores donationes facere e bonis communibus quam consuetas eleemosynas.

b) Si talia bona non habet, potest ex aliis bonis communibus vel mariti sui illorum necessitati subvenire. Cum enim socia sit mariti sui, videtur ipsi jus esse ut maritus hoc onus commune e bonis suis ferat, sicut ferre deberet si ipsius parentes aut filii prioris matrimonii indigerent. In hoc tamen casu ab aliis eleemosynis faciendis abstinere debet conjux.

c) Generatim non videtur uxor, defuncto marito, teneri ad computandas eleemosynas, e bonis communibus factas, in partem dotis recuperandae vel bonorum communium quae ipsi obtingunt. Ad id tamen teneretur, si donationes multum excederent consuetas eleemosynas; siquidem ad talia subsidia extraordinaria, e bonis suis danda, maritus non videtur obligari posse quando uxor bona quaedam, saltem quoad nudum dominium, possidet.

Quod autem hic de succurrendis parentibus et filiis dicitur, plures probabiliter ad fratres et sorores extendunt (S. Alph. n. 542), neque abhorret Lugo. (l. c. n. 72)

5^o Maritus procul dubio laedit justitiam commutativam si dissipat bona uxoris paraphernalia vel ipsius dotem, aut si bona communia ea ratione alienat quae ei a lege civili prohibeatur, ex. gr. si immobilia titulo gratuito donat. Si autem aliis modis eadem bona communia dissipat, omnes quidem consentiunt eum peccare contra caritatem et officium quod habet ea bona in utilitatem communitatis adhibendi. Sed non omnino convenit inter AA. num insuper laedat justitiam commutativam.

Aliqui, ut Carrière (de Just. I. n. 276) et Gury (l. n. 556), saltem probabilem existimant sententiam negativam. Ratio eorum est quod, durante matrimonio, maritus lege civili constituitur bonorum communium dominus, ita ut, quibusdam casibus exceptis, ea etiam alienare possit; uxori vero conceditur tantum jus petendi communitatis dissolu-

tionem, ut se a mariti prodigalitate tueatur. Plerique tamen sententiam affirmativam omnino tenendam esse opinantur, ex. gr. Baller. (nota in l. c. Gury), Waffelaert (de Just. t. I p. 101). Rationem afferunt valde stringentem: clare in ipso codice civili bona haec dici *communitatis* (a. 1421), quorum maritus solus administrationem habeat. Uxor ergo, etiam durante matrimonio, jus proprietatis in bona communia servat: quare maritus, ea dissipando, laedit ejus jus strictum et consequenter justitiam commutativam. Nihil autem in contrarium concludi potest ex eo quod lex civilis denegat actionem uxori contra maritum qui ita bona communia dissipaverit. Nam multae sunt obligationes in conscientia quibus lex actionem coram tribunalibus denegat ne lites, cum damno familiarum, multiplicentur: quod in praesenti argumento facile contingeret. Huic posteriori sententiae astipulamur.

§ 5. DE DOMINIO CLERICORUM.

475. NOTIONES. Solent AA. bona clericorum in quadruplicem speciem distinguere:

1^o *Patrimonialia*, quae clericus tamquam persona privata, quocumque titulo possidet, ex. gr. ex hereditate paterna, e munere profano quod gerit.

2^o *Ecclesiastica*, quae ipsi e redditibus beneficii ecclesiastici dantur.

3^o *Quasi-patrimonialia* (quasi-ecclesiastica, casualia), quae ipsi, occasione sacrarum functionum, ex. gr. Missae vel contionis, tribuntur in stipendium seu eleemosynam.

4^o *Parcimonialia*, quae clericus, parcius vivendo, retinet e redditibus beneficii quos rationabiliter in sustentationem suam impendere potuisset.

Jamvero de omnibus his bonis, exceptis iis quae stricte ecclesiastica sunt, clericus liberrime, sicut quivis alius civis, disponere potest. Si qui peculiare limites ipsi apponuntur, id unice oritur ex obligatione scandalum vitandi vel modestiae clericalis, juxta sacros canones, servandae. Sed nulla lex ecclesiastica affertur quae directe hunc liberum usum impediatur. Quae igitur dominio clericorum peculiaris sunt, unice respiciunt bona ecclesiastica. Hodie autem in multis regionibus, ut Belgio et Gallia, bona ecclesiastica, quae beneficiatis alendis redditus suppetebant, a gubernio vel privatis direpta sunt. Quare merito dubitari poterat num clerici in iis locis hujusmodi bona ecclesiastica ad suam sustentationem haberent: quippe qui e pensione quam gubernium tribuit et e bonis casualibus vitam sustentare soleant. Nihilominus S. Poenit. (19 Jan. 1819 et 19 Aug. 1821) respondit pensionem quae parochis et canonicis a

gubernio Belgico vel Gallico solvitur, induere rationem beneficiorum seu honorum ecclesiasticorum. Non videtur tamen idem dicendum de supplemento quod interdum sacerdotibus a parochiis seu municipiis datur, neque de pensione quae parochorum adjutoribus tribuitur. Nam, deficiente quavis declaratione S. Sedis, haec potius secundum naturam suam dijudicanda sunt. Jamvero supplementum istud a gubernio tantum dari *permittitur*: quare non stricte locum tenet beneficium, sicut pensiones proprie dictae. Parochorum autem coadjutores antiquitus per se non habebant beneficium, sed a parocho cui auxilium praestabant remunerandi erant: quare eorum pensiones hodiernae nequeunt haberi quasi beneficium locum tenentes. Tandem nullatenus inter bona ecclesiastica computandae sunt spontaneae fidelium oblationes, neque probabilis pensio annua quae detur e locatione scamnorum vel aliquo fundo ecclesiae adjacente, ut fit quandoque in Stat. Foed. Amer. (Sabetti, n. 362): nam in neutro casu redditus e vero beneficio ecclesiastico hauriuntur.

476. ASSERTA. I. Clerici e bonis suis proprie ecclesiasticis sumere possunt quidquid ad honestam sustentationem requiritur. Hoc autem *sustentationis* nomine venit quidquid moraliter necessarium est ad victum, vestitum, recreationes et convivia moderata ipsorum clericorum, ad stipendium famulorum vel famularum, etc. In his determinandis, ratio habenda est variae dignitatis clericorum et rationis qua, in singulis regionibus, clerici parae condicionis et timoratae conscientiae expensas suas moderari solent. Cfr. Laymann, l. 4. tr. 2. c. 3. n. 2. Hoc autem jus ad sustentationem e bonis ecclesiasticis hodierna disciplina certo agnoscit etiam iis clericis quibus opulentum suppetit patrimonium. (Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 2. n. 2)

II. Clerici sub gravi tenentur in pauperes aliave opera pia erogare quae sibi e bonis ecclesiasticis, detracta honesta sustentatione, supersint. Haec obligatio multis canonibus (Decret. Gratiani, causa 12. q. 1. et Conc. Trid. Sess. 25. de ref. c. 1) edicitur et a nemine in controversiam vocatur. (Bened. XIV, l. c. n. 5) Attamen, ut graviter contra illam legem peccetur, requiritur quantitas multo major quam in furto. (S. Alph. l. 4. n. 491)

Plurimum autem inter DD. controvertitur num haec obligatio oriatur e justitia commutativa et consequenter num teneantur ad restitutionem clerici qui eam violaverint. Affirmantem tenent plerique, praesertim antiquiores, innixi canonibus qui bona ecclesiastica vocant *patrimonium Christi, patrimonium pauperum*, quorum proinde clerici sint meri administratores, et textibus Patrum qui *furti* et *rapinae* reos faciunt

clericos expendentes redditus ecclesiasticos in profanos usus. Negantem vero propugnant multi et magni nominis AA. ut Lugo, Lessius, Sylvius, Molina, etc. Hi argumentem ducunt e Trid. Sess. 23. de ref. c. 1, ubi decernitur beneficiarios, qui e loco beneficium sine legitima causa diu absunt, suorum beneficiorum fructus "non facere suos." Hinc, argumento quod *a contrario* dicitur, deducunt beneficiarios qui residentiae leges servant facere fructus suos, quod idem est ac verum eorum dominium acquirere. Locutiones autem Patrum vel canonum quibus malus usus reddituum ecclesiasticorum injustitiae arguitur, non improbabiler comparant similibus reprehensionibus quae ab iisdem in divites male utentes superfluis proferuntur: quas oratoriae exaggerationi tribuendas et de injustitia late dicta explicandas esse certo constat. Ideo, in praxi, obligatio restituendi urgeri nequiret; nec facile de peccato gravi arguendi essent qui bona ecclesiastica a clericis dono acciperent. (Lugo, de Just. et J. disp. 4 n. 48 seqq.) Insuper, cum ista obligatio probabilis non sit realis, nihil ex ea transit ad heredes qui forte a clerico bona ecclesiastica acceperint. Ceteroquin, ubi tam exigua sunt bona ecclesiastica, ut quae, in regione nostra, parochis et canonicis tamquam pensio solvuntur, jam vix ad praxim facit praedicta lex canonica.

§ 6. DE DOMINIO AUCTORUM.

477. Auctoris nomine venit imprimis qui librum conscripsit; deinde etiam alii qui aliquid ingeniose composuerunt, ut rythmum musicum, picturam, machinam operi cuidam peragendo aptam.

Quaestio de auctorum juribus tractari potest, tum de jure naturae tantum, tum (quod magis practicum est) de jure quoque positivo. Utrumque simul considerabimus.

I. Quamdiu auctor opus suum nulla ratione juris publici fecerit, dubium non est quin, etiam spectato jure naturali tantum, nemo possit sine stricta injustitia illud, invito auctore, publici juris facere, ex. gr. typis edendo opus manuscriptum, secretum fabricationis propalando quod quis tantum e communicatione ab auctore facta vel per fraudem cognoscit. Ratio est, quod homo jus habet in opus ingenii sui et consequenter in fructus qui inde colligi possint. Recte notat Ball. P. (n. 14) duplex jus in auctore violari posse: 1° Jus ne quid vulgetur magis quam ipse velit; 2° Jus ad lucrum quod e vulgatione sperari possit. In restitutione facienda hoc alterum unice erit attendendum.

Dubium moveri posset num jam censendae sint juris publici lectiones ab aliquo professore traditae, contiones ab oratore habitae et similia.